

## ARTICULUS II.

## DE SACRIFICIO MISSAE IN SPECIE

## CAPUT I.

## DE RITU SERVANDO IN MISSA PRIVATA GENERATIM.

§ I. — *De praeparatione ad Missam.*

**678.** Sacerdos celebraturus Missam, praevia Confessione sacramentali, quando opus sit<sup>1</sup>, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet.

**679.** Nemo stricte tenetur Psalms ac preces praeparatorias *Ne reminiscaris* etc., quae in capite Missalis inveniuntur, recitare, valde tamen conveniens est et aequum, orationes ab Ecclesia statutas omnibus aliis precibus praeparatoriis anteponere.

**680.** Si quis illas recitat, animadvertis, quod Antiphona *Ne reminiscaris* etc. ante Psalms duplicanda sit in omnibus festis duplicitibus; in semiduplicibus, simplicibus et Feriis inchoatur tantum, et *Alleluia* non nisi tempore paschali adiicitur.

**681.** Nunquam tamen Sacerdos omittat formare intentionem celebrandi, v. g. recitando illud: *Ego volo*

<sup>1</sup> Concil. Trid. Sess. XIII, c. 7.

celebrare Missam etc.<sup>1</sup>, ac applicandi Sacrificium Missae ad determinatum finem.

**682.** Post praeparationem Sacerdos Missale accipit, Missam inspicit, si omnia dicenda suis signaculis sint signata, ne cum ad Altare venerit, inutiliter folia Missalis vertere et dicenda hinc et illinc quaerere cogatur, adstantes fastidian, ac ipse in Sacrificio ex oblivione vel inadvertentia errores committat.

**683.** Postea manus lavat recitans Orationem *Da, Domine, virtutem* etc., ad paramenta accedit et Calicem praeparat.

**684.** In praeparatione Calicis attendendum est, ut hostia sit integra et a fragmentis mundata; nitida sint purificatorium et Corporale, Corporale penitus reconditum intra bursam, cuius apertura sit ad Celebrantem versa.

**685.** In hostia consecranda imago Crucis cum Crucifixo impressa sit<sup>2</sup>, nisi alia adsit consuetudo<sup>3</sup>.

**686.** Calice parato, Amictum in extremitate prope chordulas utraque manu accipit, Crucem quae in medio est osculatur, illud capiti imponit circumducens manum dexteram super humerum sinistrum, atque extendit super caput ipsum dicens: *Impone, Domine, capiti meo* etc.; interim chordulas sub humeros reducit, iisque se praecingit et infra pectus utramque coniungit et alligat.

**687.** Formare Crucem super frontem, pectus et humeros antequam Amictus accipitur, non est de praece-

<sup>1</sup> Gregorius XIII PP. concessit cuilibet dicenti hanc Orationem indulgentiam 50 dierum.

<sup>2</sup> Benedict. XIV, De Sacrificio Missae l. 1, c. 6, n. 5.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 26 Apr. 1834, in una Imolen.

pto (convenit tamen); si quis autem hoc signo se munire vult, id faciat priusquam Amictum manibus tangat sibique imponat.

**688.** Albam ipse accipit vel a Ministro, et tunc iunctis manibus et capite aliquantulum inclinato, eam primo imponit humeris, deinde in manicas dexterum et sinistrum brachium inducit, ad pedes illam defluere facit, ac proin ita decenter componit, ut ex omni parte aequa pendeat, totum habitum tegat, minime autem pedes contegat, aut sub pedibus defluat, sed ab humo duos fere digitos distet. Interea dicit: *Dealba me, Domine*, etc.

**689.** Dum Cingulum a Ministro porrigitur, quo Albam circa lumbos constringit, Sacerdos dicit: *Praecinge me, Domine*, etc, Cingulum duplicatur et capita ad terram dimittuntur, ut ipsis Stola possit cohiberi.

**690.** Dum Manipulum sumit, illud in medio ubi est Crux osculatur, et brachio sinistro, nempe inter pulsum et cubitum, imponit dicens: *Merear, Domine*, etc.; dein Minister Manipulum taeniis Sacerdotis brachio alligat, ut non excurrat.

**691.** Stolam ambabus manibus ipse, vel a Ministro, accipit; illam ubi est Crux osculatur, eam inter cervicem et humeros (et non inter humeros et tergum, ut aliqui faciunt) sibi imponit, et ita aptat, ut neque super Planetam neque per humeros effluat, transversim ante pectus partem dexteram sinistram superimponit in modum Crucis, deinde extremo Cingulo utramque a lateribus cohabet. Dum Stolam sibi imponit, recitat Orationem: *Redde mihi, Domine*, etc.

**692.** Postremo Sacerdos Planetam induit, illamque ante pectus et post tergum defluentem chordulis in

parte interiori ante pectus illigat, Orationem interea dicens: *Domine, qui dixisti* etc.

**693.** Soli Episcopo <sup>1</sup> licet in Altari sacra induere indumenta; quod si alius Sacerdos ex quadam necessitate ad Altare sacra induere debet vestimenta, hoc in cornu Evangelii et non in medio Altaris faciat <sup>2</sup>.

## § II. — *De ingressu ad Altare.*

**694.** His sacris indumentis paratus Sacerdos Calicem manu sinistra sumit, dexteram extensam superimponens bursae, elatumque ante pectus, non tamen sibi applicatum, neque nimis longe ab ipso; Crucem profunda vel, si Crux non adsit, imaginem principalem Sacrarii media reverentia, capite cooperito <sup>3</sup>, salutat, et ad Altare procedit, praecedente Ministro cum Missali.

**695.** Quamvis Rubrica non praecipiat, ut in aditu Ecclesiae aquam benedictam a Ministrante accipiat, seque ipsa signet, tamen more Fidelium, qui Ecclesiam ingrediuntur, hoc faciat, si commode fieri possit, alias omissat <sup>4</sup>.

**696.** In ingressu ad Altare nunquam Ministrum praecedat aut solus egrediatur, gravitatem, modestiam animumque in Deo intentum praeseferat, oculos habens

<sup>1</sup> Excipe Praelatos privilegiatos, ut sunt Romae Protonotarii Apostolici ad instar participantium, dummodo habitu praelatitio sint induti, ut videri potest in Constitut. Pii IX, 28 Aug. 1872.

<sup>2</sup> Ex pluribus S. Rit. C. Decretis.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 14 Jun. 1845.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 27 Martii 1779, in una Ord. Min. ad 14.

demissos sine ulla affectatione, aut ostentatione, aut timore.

**697.** Si Sacristia duas habeat portas ad latera Altaris, Sacerdos egredi debet a cornu Epistolae, et regredi per cornu Evangelii<sup>1</sup>.

**698.** Salvo speciali privilegio S. Sedis, vel consuetudine immemorabili, in Missis privatis nemo nisi solus Episcopus duos Ministros habere potest<sup>2</sup>; in aliis autem Missis non stricte privatis et quasi-conventionalibus aut conventionalibus, tolerantur duo Ministri<sup>3</sup>.

**699.** De transitu Celebrantis ante Altare, SS. Sacramentum, Reliquias, etc. etc., vide num. 458.

**700.** Sacerdos Calicem gestans neminem salutat, praeterquam si occurreret proprio Episcopo, magno aliquo Praesuli, Principi regnanti aut alteri Sacerdoti parato ad Altare procedenti vel inde redeundi.

**701.** Si transitus esset angustus, qui accedit ad Altare, locum cedit de Altari redeungi, qui modeste excipit, nulla mora renuendo interposita.

**702.** Cum ad Altare venerit Sacerdos, in medio subsistit ante infimum gradum, caput nudat, inclinationem profundam Crucis, si vero aderit SS. Sacramentum in Tabernaculo reconditum, aut Reliquia SS. Crucis exposita, genuflexionem usque ad terram in pavimento, minime vero in infimo gradu, peragit, Altare ascendit, pede dextero praeeunte, Calicem versus cornu Evangelii statuit, ac deinde Amictum, quo coopertus fuerat in accessu, adaptat.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Aug. 1854, in Brioc. ad XVII.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Aug. 1627, in una Castri Durant.: 19 Iulii 1659,

27 April. 1818, et 27 Augusti 1822.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 12 Sept. 1857, in una Molin. ad 7 et 8.

**703.** His peractis, utraque manu Calicis velum demittit, bursam a Calice amovet, Altari imponit rectamque sustinet manu sinistra, dextera vero Corporale extrahens in Altari deponit; ac deinde bursam eadem manu dextera sumptam locat versus cornu Evangelii, applicans eam gradui quo insistunt candelabra, vel candelabris ipsis, si gradus desint, ita tamen, ut a guttis cerei forsan defluentis sit remota. Haec peragens, manum sinistram Altari impositam tenet.

**704.** Advertendum autem, ut apertura bursae semper sit versus medium Altare, nisi quaedam imago aut sacrum emblema inscriptum sit, quod alium statum requireret.

**705.** Deinde Celebrans ambabus manibus Corporale in medio Altaris totum explicat, ita tamen, ut ultima pars, quae explicatur, sit ea quae respicit Sacerdotem, sicut et vice versa faciendum est, dum clauditur. Extremitas Corporalis a fronte Altaris spatium digiti, aut etiam duorum digitorum absit, ne Celebrans cum ad populum convertatur, Planeta aut Manipulo illud insimul cum Calice secum ducat.

**706.** Corporali extenso super Altare, Calicem manu sinistra ad nodum accipit, et superimposita dextera sistit in medio Corporalis, et non in anteriori parte, ne impedimento sibimet sit ad osculandum Altare; velum ex parte anteriori ita extendit, ut totus Calix congregatur<sup>1</sup>.

**707.** Iunctis hinc manibus, accedit ad latus Epistolae, Missale super legili aperit (non enim a Ministro, sed

<sup>1</sup> S. Rit. C. 1 Mart. 1698, in una Pragen.

ab ipso Celebrante aperiendum est<sup>1)</sup> ad signaculum quod Missam celebrandam monstrat, manibus semper iunctis ad medium Altaris redit, et quin ibi moretur, praevia Cruci mediocri inclinatione, versus cornu Epistolae faciem vertit, et iunctis manibus descendit in planum, ubi rursus ad Altare convertitur ad incipiendam Missam. Non descendat tamen, antequam candelae fuerint accensae.

### § III. — De principio Missae usque ad Offertorium.

**708.** Sacerdos in plano Altaris stans, ibi profundam facit Cruci inclinationem, seu genuflexionem unico genu super infimum gradum, si SS. Sacramentum in Tabernaculo asservatur (cum genuflectit, nullam facit postea reverentiam seu inclinationem), ac se erigens et signum Crucis more solito formans, Missam incipit dicens: *In nomine Patris etc.*, recitat *Introibo et Psalmum Iudica me Deus*. Ad *Gloria Patri* inclinat caput; ad versum *Adiutorium nostrum etc.* iterum se signat.

**709.** *Confiteor* profunde inclinatus recitat more solito, non se vertens versus Ministruum ad verba *vobis fratres et vos fratres*, quod in Missa solemini tantum est observandum. Ter pectus sibi percutit dicens *mea culpa etc.*, dextera aperta et extensa digitis simul iunctis, sinistra infra pectus posita: et profunde inclinatus manet usque dum responderit *Amen*, post *Misereatur tui etc.* dictum a Ministro, et tunc se erigit.

<sup>1)</sup> S. Rit. C. 7 Sept. 1816.

**710.** Dicto a Ministro *Confiteor*, Sacerdos semper erectus dicit *Misereatur vestri ac Indulgentiam etc.*, se signans more solito.

**711.** Ad verba *Deus, tu conversus etc.* se mediocriter inclinat, et ita manet usque ad *Oremus: Aufer a nobis*. Cum autem *Oremus* pronuntiat, aperit et iungit manus se erigens et Altare ascendit, Orationem illam recitans, seu potius prosequens in via.

**712.** Cum ad supremum gradum advenerit, mediocriter inclinatus manusque iunctas extremitati anteriori Altaris ita imponens, ut digitii minimi frontem Altaris contingent, recitat aliam Orationem: *Oramus te, Domine, etc.* Ad verba *quorum reliquiae hic sunt*, osculatur Altare in medio ante Calicem et non ad latus, manibus aequaliter super Altare, sed extra Corporale extensis.

**713.** Altari osculato, quin ullam reverentiam aut inclinationem Cruci faciat, accedit, iunctis manibus, ad cornu Epistolae absolvens interea praedictam Orationem; Introitum Missae legit, signans se signo Crucis (in Missis vero Defunctorum signans signo Crucis liberum, quin eum tangat, manu sinistra super Altare posita<sup>1)</sup> ad frontem, pectus et humeros, manu sinistra ante pectus posita, quod signum ad iteratum Introitum non iterabit. Ad *Gloria Patri* caput inclinat versus Crucem.

**714.** Post Introitum accedit ad medium Altaris, ubi, omissa inclinatione Cruci, iunctis semper manibus, *Kyrie eleison* recitat alternatim cum Ministro; quod si Minister non responderet ex inadvertentia, aut quia absens, ipse Celebrans totum supplere deberet.

<sup>1)</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816, ad 42.

715. Post *Kyrie eleison*, dicitur *Gloria in excelsis*. Haec dicens Sacerdos, quin prius manus Altari imponat, eas disiungit, elevat usque ad humeros, quin tamen oculos ad Crucem extollat. Ad verbum *Deo* manus iterum iungit, caput tantum inclinans. Stans erectus manibusque semper iunctis, Hymnum prosequitur usque ad finem. Ad verba *Adoramus te, Gratias agimus tibi, Iesu Christe, Suscipe deprecationem nostram*, ut supra dictum est, caput inclinat. Ad verba autem *Cum sancto Spiritu* etc. se signat a fronte ad pectus et humeros, et quin manus iungat, cum Rubricae Missalis nihil dicant<sup>1</sup>; ac dicto *Amen*, Altare osculatur, se erigit, manus ante pectus iungit, ad populum se convertit, ac manus disiungens et iterum statim coniungens, dicit *Dominus vobiscum*.

716. Ad *Dominus vobiscum, Orate fratres*, et quoties Sacerdos ad populum se vertit, renibus Altari non insistat, sed paululum ab Altari recedat, ne aut timidus aut fractus appareat.

717. Si non dicendum sit *Gloria in excelsis*, dicto ultimo *Kyrie eleison*, statim osculatur Altare et dicit *Dominus vobiscum*.

718. Dicto *Dominus vobiscum*, cui Minister respondeat *Et cum spiritu tuo*, versus cornu Epistolae se convertit, ad Missale accedit, ac manus disiungens, elevans ac simul coniungens, facta interim inclinatione Crucis, dicit *Oremus*; dein iterum manus extendit et Orationem dicit. Ad *Per Dominum nostrum* etc. manus iungit, et ad verba *Iesum Christum* caput Crucis

inclinat. Si in conclusione dicitur *Qui vivis et regnas*, aut *Qui tecum vivit et regnat*, caput non inclinatur nec ad Crucem, nec versus librum, et manus non iunguntur, nisi ad verba *in unitate Spiritus sancti Deus*.

719. Eodem modo ut Oratio prima, dicuntur et concluduntur Commemorationes, si quae sint; quod si plures sint, *Oremus* ad primam tantum, et conclusio nonnisi in fine ultimae Orationis dicuntur.

720. Orationes sequitur Epistola, quam manibus libro aut Altari impositis dicit, ita tamen, ut palmae manuum aliquo modo Missale tangent<sup>1</sup>.

721. Post Epistolam eodem modo tenens manus, Graduale prosequitur (et Tractum tempore scilicet Septuagesimae et Quadragesimae, servatis hoc tempore servandis), quo dicto sine mora manibus iunctis ante pectus, in medium Altaris redit, omittens quamcumque inclinationem.

722. Si casu vero contingat, ut Sacerdos ipse Missale ad cornu Evangelii portare debeat, tunc illud cum legili aut pulvinari ambabus manibus accipit, in medio Crucem salutat, et ita legile collocat, ut pars inferior Missalis sit paululum conversa ad latus Epistolae, deinde in medium Altaris redit, ut recitet *Munda cor meum* et *Iube Domine benedicere*.

723. Stans in medio Altaris, oculos ad Crucem elevat, statimque eos dimittit; deinde manibus iunctis ante pectus neque appositis Altari, se profunde inclinat ac recitat *Munda cor meum* et *Iube Domine benedicere*

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Nov. 1831, in una Marsor. ad 30.

<sup>1</sup> Vid. Rit. celebr. Miss. t. VI, n. 1.

(quod tamen omittitur in Missis de Requie); quo dicto, semper tenens manus iunctas, ad Missale accedit, facieque ad cornu Evangelii conversa dicit *Dominus vobiscum*, et *Initium vel Sequentia S. Evangelii secundum* etc., quae verba proferens, pollice manus dexteræ primo in libro principium Evangelii ac postea sibi frontem, os et pectus signat, manus iterum iungit, et lectionem Evangelii prosequitur.

**724.** Cum librum signat, manus sit extensa, non clausa, et palma manus librum respiciat; idem dicendum cum se ipsum signat; sinistram autem ponat extensam super Altare<sup>1</sup>, cum librum signat, et infra pectus, cum se ipsum signat.

**725.** Absoluta Evangelii lectione, utraque manu Missale accipit, aliquantulum sublevat, et inclinans se dicit *Per evangelica dicta*, postea illud osculatur eo loco, quo ipsum primo signo Crucis signaverit, subiungens *deleantur nostra delicta*<sup>2</sup>; deinde librum deponit, ac legile versus medium Altaris aliquantulum convertit, ita tamen, ut nullo modo Corporale tangat.

**726.** Sacerdos nunc manibus iunctis, ad medium Altaris redit, illud osculatur, ac dicit *Dominus vobiscum*, eadem via rediens in medium.

**727.** Si vero dicendum sit *Credo*, tunc reversus post Evangelium in medium Altaris, ad verbum *Credo* manus extendit et extollit usque ad humeros, statimque eas coniungit, et dicens *in unum Deum* caput inclinat, quod etiam fit ad verba *Iesum Christum et adoratur*, ut supra dictum est.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

<sup>2</sup> Merat. p. 2, t. 6, n. 2.

**728.** Ad verba *Et incarnatus est.... factus est*, manus in Altari extra Corporale extendit, dextero genu genuflexionem usque ad terram lente conficit, non tamen genuflexus sistit, sed statim se erigit ac manus iterum iungit usque ad verba *et vitam venturi saeculi*, quo tempore se signat a fronte ad pectus et ad humeros more solito, manus haud coniungens dum pronuntiat *Amen*<sup>1</sup>. Postea osculatur Altare et ad populum versus dicit *Dominus vobiscum*.

#### § IV. — De Offertorio usque ad Canonem.

**729.** Dicto *Dominus vobiscum*, per eamdem viam reversus, dicit *Oremus*, et haec proferens caput inclinat versus Crucem, manus elevat statimque dimittit ac iungit, iunctisque legit eadem voce Offertorium.

**730.** Lecto Offertorio, ambabus manibus extremitates veli Calicis ex parte anteriori accipit, illud aliquantulum elevat, et a posteriori parte detrahit et extra Corporale plicat, aut plicando Ministro porrigit; plicatum velum super mensam extra Corporale, sed non longe ab illo distans collocetur, ut super illud maioris commoditatis causa, palla in aperiendo et cooperiendo Calice ponи possit et facilius recipi.

**731.** His peractis manu dextera, sinistra interim super Altare extra Corporale posita, Calicem in nodo accipit, extra Corporale locat, pallam ab ipso removet et super velum ponit. Deinde pollice, indice et medio digito eiusdem manus Patenam cum hostia accipiens,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831, in una Marsor. ad 30.